



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia  
Sacrarum Literarum Primarij Professoris. Tractatvs De  
Legibvs, Ac Deo Legislatore**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1619**

XXXII. Quomodo lex dans formam actui, & addens clausulam irritantem  
impediat valorem actus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94074](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94074)

gat potestatem, tollit radicem valoris, & consequenter excludit substantialem formam, quæ adhiberi non potest, nisi ab habente potestatem.

12. Bart.

Felin. Tiraquel.

Couar. Iason. L. Gallus.

13.

Exponitur verbum, non potest.

L. filius. & facias.

6. literas.

Bart.

L. non dubium.

14.

Iudicium de verbo, non potest, iuxta materiam, & circumstantias.

Hanc autem regulam de verbo, non potest, tradit Bart. in l. cum lex. ff. de fideiusoribus, & in l. vlt. n. 6. ff. de ferijs, & sequitur Felin. in dicto c. cum dilectis, de re scriptis, in 6. verb. septimum signum, & latissime locupletat Tiraq. in l. vlt. connub. Gloss. 4. per totam. Constituit autem Bart. quandam differentiam inter verbum, non potest, quod est de presenti, & non potest, quod respicit futurum: nam in hoc posteriori dicit esse validam regulam, quia tunc negatur potentia etiam in futurum, quæ tamen non negatur per verbum presentis. Sed hæc differentia nullius momenti est, vt notat Tiraq. supra n. 9. & Couar. in c. quamuis pactum. 2. p. §. 4. n. 4. cum Iason in l. Gallus. ff. de liber. & posthumis. Et ratio reddi potest, quia lex semper loquitur, & ideo licet per verbum de presenti dicat, non potest, semper hoc dicit, quando postea contractus fit, quia semper lex durat, & ita semper resistit actui auferendo potestatem; illa ergo distinctio nullius momenti est.

Potest tamen non immeritò circa hanc declarationem dubitari, quia verbum, non potest, ambiguum facti, vt sic dicam, sed iuris. Nam id simpliciter possumus, quod iure possumus, vnde simpliciter dicimur non posse, quæ licet facere non possumus; ergo ex verbo, non potest, non satis colligitur impotentia annullans actum, sed tantum prohibitoria faciens, vt actus non liceat. Et sanè Gloss. quæ ad hoc frequenter citatur in c. de regul. iur. in 6. verb. non potest, solum dicit negationem additam verb. potest, inducere necessitatem, quod est verum, quia inducit necessitatem obligationis, non tamen inde fit, vt inducat necessitatem impotentie ad oppositum actum quoad valorem eius. Vnde cum illo primo capite dicitur, non potest licite, Gloss. in verb. licite, notat, illud additum licite, superabundare, quia idem dictum fuerat per verbum, non potest, quia id possumus, quod iure possumus. Nam quæ contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est, vt dicitur in l. filius, qui. ff. de conditionibus institutionum. Vnde in c. facias. 22. dist. ait Aug. debere facere hominè pro salute alterius, quod potest, non tamen debere peccare pro alterius salute, quia nimirum illud non potest, quod non liceat. Et ita in c. literas, de restit. spoliar. dicitur, coniugem confcium de impedimento consanguinitatis, non posse alteri commiseri, quia licite non potest. Ergo cum verba legis, quæ rigorem continent, benignius sunt interpretanda, licet lex dicat, non potest, sufficienter intelligitur, licite; non ergo id sufficit ad irritandum, sed ad prohibendum. Vnde Bart. & alij citati pro illa declaratione videntur apertè fundari in regula legis, non dubium; quod facta contra legem prohibentem, sunt nulla. Supposita autem nostra sententia, & vbi lex, non dubium, non operatur, non videtur illa interpretatio admittenda. Atq; ita ex vi illorum verborum non constituetur forma substantialis ad valorem actus, sed solum forma, seu modus necessarius ad honestatem actus, siue in ordine ad valorem substantialis sit, siue accidentalis.

Hæc obiectio apud me cõuincit, doctrinam, & regulam datam de verbo, non potest, non esse infallibilem, neq; sufficientem, si præcedit, & nudè spectetur, sed esse materiam, & alias circumstantias considerandas, vt plenum iudicium de sensu illius verbi feratur. Quod etiam sentit Couar. in dict. c. quamuis. 2. p. §. 4. n. 10. qui aliam etiam ambiguitatem insinuat. Nam licet verbum, non potest, in lege positum referatur ad factum ipsum, seu valorem eius, & non ad conscientiam, potest esse dubium, an tollat potentiam solum ciuilem, seu ad se obligandum ciuilitè, vel etiam naturalitè. Et ideo necessario sunt alia verba legis expendenda, & vbi illa defuerint, materia erit confide-

landa. Potestq; in primis considerari, an actus, cui forma præscribitur, pendeat ex potestate concessa, à Principe, vel republica, vel ab auctoritate iuris, vt est sententia, electio, alienatio bonorum cõmunium, vel Ecclesiasticorum, & quælibet administratio publica, vel quæ publica auctoritate fit, vt est officium tutoris, seu curatoris, & similia: an verò sit actus propriæ auctoritatis, & dominij, vt est facere testamentum, alienare res proprias, &c. In priori genere actionum valde probabilis præsumptio est, vbi lex prohibet actum, vel modum actus cum clausula, non potest, vel non potest aliter, &c. limitare ipsam potestatem, ita vt actus aliter factus sit inualidus, tum quia videtur lex loqui de potestate, quam ipsa, vel princeps concessit, tum etiam, quia idem qui dat potestatem, censetur tunc ponere formam, & ita procedit regula supra data, quod illa forma sit substantialis. Exemplum saltem à simili sumi potest ex l. vlt. c. de vendendis rebus ciuitatis, li. 11. ibi, Non aliter, nisi imperialis auctoritate venduntur, &c. Vbi Bart. notat, illà esse formam substantialem.

At verò quando actus est priuati dominij, qui de se non pendet à potestate concessa à lege, vel republica, diuersa ratio est, tum quia ibi non est auferenda potestas, quæ à lege, vel republica proueniat, sed quæ vnicuiq; vel iure naturæ, vel iure gentium conuenitur etiam, quia ibi lex supponit potestatem ad actum, cui formam præbet, & ideo ex vi verborum non videtur esse forma substantialis, nisi per verba factis expressa declaratur, qualia non videntur esse sola illa, aliter non potest, nisi aliunde cõstare possit, intentionem legis esse limitare simpliciter potestatem operandi, & non tantum licitè operandi, & ideo ordinariè addi solent verba irritantia ad hoc explicandum. Item si non addantur, alia circumstantia spectanda sunt. Et in primis tota series verborum consideranda est, & præcipuè an verbu, non potest, cadat super effectum, seu obligationem, quæ induceretur, si actus valeret: nam tunc signum est formæ substantialis. Vt cum dicitur, sine expressione causæ non potest constitui obligatio, l. iura gentium. §. non potest. ff. de pactis. Deinde inspicendum est, an iuxta materiam qualitatem, & vsu per talia verba soleat auferri administratio bonorum, vel ita limitari, vt sine alterius consensu, vel sine facultate iudicis fieri non possit. Nam tunc etiam censetur lex præscribere substantialem formam, vel auferre simpliciter potestatem moralem. Et ita contingit in legibus testamentorum & alienationum, quas supra afferebamus. Nam licet dominia rarum sint de iure gentium quoad rerum diuisionem in genere, nihilominus in particulari modis acquirendi, vel transferendi dominia, pendet multum ex iure humano, & ideo quando lex tollit potestatem donandi, aut absoluit, aut sine alterius licentia, & consensu, vel negat facultatem testandi, vel instituendi heredem, vel è conuerso, tollit potestatem instituendi alios præter istos, aut ex illis meliorandi, nisi in tali parte, & similia, censetur substantialem formam præscribere, & simpliciter auferre potestatem, ac subinde inualidare actum. Deniq; consuetudo, & cõmunis acceptatio legis in hoc, vel in illo sensu multum in huiusmodi dubio valere potest.

CAPVT XXXII.

Quomodo lex dans formam actui, & addens clausulam irritantem impediatur valorem actus.

Regula recepta, & moralitè loquendo, generalis, est, Si lex det formam, & addat clausulam, vt actus aliter factus non valeat, vel sit irritus, aut inutilis, vel quid simile, tunc forma est substantialis, & necessaria simpliciter ad valorem actus. Hæc regula cõmuniter recepta est, & sumitur ex Gloss. in cap. 1. Gloss. verb. potest, & in cap. statutum, in principio, verb. & statum commis.

*committantur*, de rescriptis in 6. Tradit Felin. in cap. cum dilecti, de rescriptis, num. 6. verb. *quoniam signum*, ubi alios refert. Et constat ex dictis de virtute legis simpliciter prohibentis cum clausula irritante actum: nam perinde est prohibere eum eadem clausula ne aliter fiat. Unde solum oportet aduertere, necessarium esse, ut verba contineant irritationem de presenti, seu ipso iure, quia alias non explicabunt necessitatem simpliciter ad valorem actus, ut statim magis explicabitur.

Adhibetur enim communiter huic regulæ declaratio, videlicet, ut procedat, quando solemnitas præscribitur, ut obseruanda in ipsamet effectio actus: tunc enim substantialis est, secus vero erit, si solemnitas supponat actum iam factum, quia tunc signum est, esse tantum accidentalem. Hanc declarationem posuit Bartol. in l. vniuersa, C. de precib. Imperatoris officendi, & in l. sita quis, 135. s. ead. lege, num. 5. ff. de verborum obligationibus, ubi in Scholijs multi alij referuntur. Sequitur Panormit. in dicto cap. quoniam frequenter, ut lite non contestata, num. 10. & ibi Felin. num. 4. qui alios refert. Alios etiam refert Tiraquel. supra num. 4. præsertim Bald. in rubr. C. de rescind. venditione. Exempla prioris partis sunt, de solemnitate requisita in testamento efficiendo, cap. cum esset, de testamentis. *hac consulti sumus*, C. qui testameta facere possunt. Vbi certus modus, & numerus testium ad testamentum postulatur in ipsomet actu. Idem est de solemnitate ad electionem requisita dicto c. qui propter. Alterius vero partis exemplum est in lege postulante, ut donatio facta infinuetur, vel quod ex re vendita talis gabella soluatur, alias non fit venditio. Ratio autem prioris partis est, quia quando forma in ipsomet actu postulatur, & additur, ut actus alias factus, non valeat, ipsa immediate refertur valori actus. Et ideo talis forma substantialis censetur, prout nunc loquimur. Alterius vero partis ratio est, quia quando conditio est posterior, supponit actum factum sine refertentia legis, & consequenter validum. ac proinde licet postea videatur illum irritare propter subsequentem omissionem, illud est per modum cuiusdam pœnæ. Et ideo non statim habet effectum, donec applicetur pœna, nisi lex expressis verbis maioris rigoris declaret, iuxta regulas supra positas de lege pœnali.

Et propterea dixi, hanc declarationem intelligendam esse, quando lex addit absolute verbum, *aliter non valeat*, aut aliud simile, quia si non addat huiusmodi verbum, etiam si in ipsomet actu solemnitatem apponat, non sequitur esse substantialem: nam etiam forma accidentalis potest interdum requiri in ipsamet rei effectio. Exemplum esse potest de iuramento à iudicibus præstando in principio litis, iuxta legem non nouam, C. de iudicijs. Quod in ipso actu postulatur, & tamen, licet omittatur, actus est validus, ut ibi Gloss. vltim. notat. Idem est de forma seruanda in ferenda sententia excommunicationis, iuxta cap. 1. de sententia excommunicationis, in 6. & ita loquuntur citati auctores. Qui tamē videntur aliud membrum omisisse: nam interdum solemnitas requiritur ante actum, ut in alienatione rerum Ecclesiasticarum prequiratur tractatus: in electione vero inquisitio, vel informatio. Existimo autem iuxta mentem horum auctorum, hanc solemnitatem antecedentem comprehendendam in primo membro tanquam pertinentem ad substantiam actus. Quod sensit Bart. supra, & in l. ita quis, s. ex lege, ff. de verborum obligationibus, expresse Felin. in dicto cap. cum dilecti, num. 6. verb. *Et hinc est*, Et ratio est, quia tunc actus censetur moraliter incipere à tali solemnitate antecedente, & iam tunc lex refertur acti, si aliter fiat. Sic ergo declarata hæc limitatio, & doctrina probanda videtur, & quoad secundum membrum de conditione subsequente, est fauorabilis, & non indiget noua expositione.

Circa alterum autem membrum de forma requisita in ipsomet actu cum clausula irritante, occurrere possunt quæstiones. Vna est, an irritatio illa intelligatur ipso iure induci statim, & ante omnem sententiam vel requiratur sententia saltem declaratoria talis defectus. In qua breuiter dicendum est, irritationem hanc regulariter non esse pœnalem, ut per se constat, quia per se imponitur, vel potius sequitur ex defectu formæ, etiam si culpa non intercedat. Nihilominus aliquando potest esse in pœnam. Exemplum sumi potest ex cap. noui, de ijs, quæ fiunt à prælato sine consensu capituli. Vbi præcipitur Episcopis, ne instituunt, vel destituant Abbates sine suorum fratrum consilio, & assensu, & postea irritantur actus illi, si aliter fiant, ubi Gloss. vlt. notat, illas irritationes esse ipso iure, male autem illas fundat in l. non dubium, quia (ut supra dixi) parum illa confert ad canones interpretandos: sunt ergo ipso iure, quia ibi satis exprimitur. Quod autem illa irritatio fuerit pœnalis, clarius colligitur ex integra in coll. 1. l. 3. tit. 9. c. 4. ubi sic dicitur, *Quod si forte contra prohibitionem nostram attentare presumpseris, nos tales institutiones, &c. auctoritate Apostolica cassamus, & omni robore, & stabilitate carere decernimus*. Pondero enim verbum, *presumpseris*: ex illo enim satis constat, irritationem ferri in odiū inobedientiæ, & transgressionis.

Quando ergo irritatio non est pœnalis, clarum est non esse necessarium sententiam in ipsomet actu, eo modo, quo per legem irritatur. Quia ad illam nullitatem per se non requiritur culpa, sed defectus formæ sufficit, nec est vlla ratio, cur sententia necessaria sit, nisi in ipsamet lege formaliter, vel virtute postuleretur, iuxta ea, quæ in sequenti quæstione dicentur. At vero quando est irritatio pœnalis, videri potest probabile, applicandam esse regulam legis pœnalis, scilicet, non incurri ante sententiam, declaratoriam, etiam si ipso iure lata sit, licet retrotrahenda sit postea sententia vsque ad initium actus. Nihilominus tamen quia hæc pœna non est pura pœna, sed includit etiam defectum substantialis formæ, ideo regulariter loquendo, probabilius videtur incurri statim ex illo capite, licet ratio pœnæ non sufficeret. Dico autem regulariter, quia ex verbis legis poterit forte interdum exceptio fieri, ut in dicto cap. noui, verbum illud, *presumpseris*, indicat (iuxta communem doctrinam) pœnam illam non incurri, si defectus committatur sine presumptione ex ignorantia, vel alia simili negligentia, & consequenter indicat, illam solemnitatem non esse substantialem, sed esse tantum requisitam sub illa pœna, & ideo probabile est, tunc non incurri ante sententiam declaratoriam.

Alia quæstio esse potest, an hæc leges irritantes ex defectu formæ, irritent omnino actum, etiam quoad obligationem naturalem in conscientia, vel tantum in foro exteriori. Sed de hac quæstione multa sunt tractata in superioribus, & in tractatu de iuram. l. 2. Et vix potest in ea generalis regula statui, quia possunt leges vtroque modo ferri, & ideo verba earum, & materia, ac circumstantiæ consideranda sunt, ad discernendum irritationis modum, ut sumi potest ex Cou. in capit. *quantum*, 2. p. 8. 4. & Molina tractat. 2. de iustit. disputation. 81. & 88. Quod maxima locum habere censo in legibus ciuilibus: nam leges diuine positivæ instituentes substantiales formas aliquorum actuum, clarum est consequenter irritare statim, ac ipso facto, & in conscientia actum, cui deficit talis forma, integra, ut patet ex materia de Sacramentis, & sacrificio. Deinde idem sentio de legibus canonicis, quatenus instituunt formas similes, maxime si attingant sacramentorum materias aliquo modo, vel etiam sacramentalium, proportionem seruata. Ita videre licet in solemnitate substantiali requisita ad contractum matrimonij ex institutione Concilij Tridentini. Idemque sepe disponunt iura in ordinationibus, quas irritant, si absque tali, vel tali modo fiant, cap. *alterario*.

4.  
Irritatione  
dictam ali-  
quando esse  
pœnalem, ut  
plurimum  
non esse.

5.  
In irritatio-  
ne pœnali nõ  
esse opus sen-  
tentia, ut a-  
lii sibi vult.

6.  
An prædictæ  
leges irritent  
in conscien-  
tia.

7  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50

ner. 12. q. 2. cum similibus. Sed ibi irritatio accommodanda est materiæ: nam est tantum quædam suspensio, ideòq; si ipso facto imponitur, statim sine alia sententia incurritur tanquam censura. Idem est obseruari potest in consecrationibus, aut benedictionibus ab Ecclesia institutis, vt in prima tonsura, in consecratione altaris, aut calicis, quia si non seruentur formæ ab Ecclesia institutæ, nulla erunt, & iteranda sunt absq; alia declaratione, nec antea licebit vei talibus rebus vt benedictis, aut consecratis. De aliis vero actibus magis temporalibus, aut externis, vt sunt alienationes, & electiones, & iudicia, &c. videri potest res magis dubia, nihilominus idem dicendum cenfeo, quia hæc leges non fundantur in propria præsumptione, vt dixi, & ita directe intendunt veritatem, aut nullitatem actus in se, non in ordine ad solam probationem, aut actionem in humano iudicio.

7. In legibus autem civilibus facilius id potest accidere, quia in illo iure præcipue intenditur exterior pax, & gubernatio, quæ per iudices exhiberi solet. Nihilominus tamen frequentius verum esse existimo, contractus, & actus irritos iure civili ex defectu formæ in conscientia irritos esse, præsertim quando pertinent ad publicam administrationem, vt sunt sententiæ, electiones, & similes, quæ à legibus ipsis, & potestate publica multum pendunt, & ideo si lex ipsa resistit irritando, statim operatur, quia non fundantur in falsa præsumptione, sed quia ita expedit communi bono. In aliis vero legibus, quæ magis consulant commodis singulorum, & ponunt formam contractibus testamentis, & similibus, aliquando solent leges non irritare obligationem internam, nec impedire naturalem valorem actus, sed tantum vel negare actionem in iudicio, vel irritare instrumentum sic factum, vel scripturam, vt non faciat fidem in iudicio, aliquando vero omnino irritant actum, etiam quoad valorem naturalem. In quo verba legis rigorose pèndenda sunt, & stricte semper sunt interpretanda, quia materia est odiosa. Semper tamen verum existimo, esse licitum in conscientia, vt hiis legibus ad irritandos actus, & eum, qui ab aliqua obligatione, vel promissione excusatur, vel rem aliquam per sententiam iustam secundum illam legem latam obtinet, tuta conscientia rem obtinere, & à solutione obligationis excusari, quamdiu lex civilis per canonicam non est derogata, & tãquam iusta in suo foro seruat. Quia licet fortasse lex per se solam non tollat omnino obligationem naturalem, dat potestatem iudici, vt omnino irritet actum, & consequenter tollat illam, vel mutet rei dominium, nam hoc non excedit potestatem legis civilis, & supposita tali lege, necessarius est, vt seruari possit sine occasione iustitiæ, & peccati. Vt v. g. in lege ita tuente solemnitate testamenti, licet demus per se solam irritare testamentum, non tamen voluntatem defuncti, & ideo posse heredem institutum in testamento minus solemniter tuta conscientia retinere hereditatem, quamdiu ab illo nõ exigitur, quia moraliter certus est de voluntate defuncti: nihilominus is, qui ab intestato deberet succedere, poterit tuta conscientia litem mouere, & postulare hereditatem, & si obtinuerit, retinere illam, quia lex hoc illi cõcedit, & saltè per sententiam efficaciter applicatur. Et per hæc alia similia, in quibus magna est varietas opinionum, probabiliter coniectari possunt.

8. Vltima quæstio esse potest, quanta corruptio substantialis formæ sufficiat, vel necessaria sit ad annullandum actum, est enim talis forma diuisibilis, & plura verba, actiones, aut testes, vel quid simile requirit. Vnde omitti potest, vel in totum, vel in parte, aut graui, aut leui. Et quidè si omittatur omnino, vel in parte graui, certum est, annullari actum. Dubium vero esse solet, quando id, quod omittitur, leue est, aut nimium. Aliqui enim existimant, tunc actum non irritari quia in moralibus parum pro nihilo reputatur. Ita sentit Molina tractat. 2. de iustit. disputat. 3. in

7. *Actus irritos iure civili ex defectu formæ in conscientia irritos esse.*

8. *Quæ corruptio formæ sufficiat ad annullandum actum.*

fine, & refert Molinam l. 2. primogen. cap. 6. num. 33. cum Bart. & aliis dicentem, omissionem modicæ solemnitatis non vitare, & idem sentit Aluar. Valaf. tom. 1. in consil. 3. nu. 8. ex l. vnic. §. vlti. ff. de ventre inspiciendo, ibi. *Quale est enim, si quid ex his, quæ leuiter obseruanda prætor edixit, non sit factum.* Et hæc sententiam referens Gregor. Lopez. in l. 5. tit. 6. part. 6. Gloss. 4. eam non improbat. Hoc etiam videtur supponere Felin. cum multis, quos refert in cap. ex parte, de consil. n. 5. in princ. Quod si inquiras, quæ omisitio solemnitatis sit leuis censenda, respondent, hoc esse arbitrio prudentis relinquendum.

Contrariam sententiam, scilicet, actum vitari, & irritari ex quacunq; omissione formæ substantialis, vel partis eius, tenent plures antiqui, quos supra refert Gregor. Lop. sup. Alber. Angel. Ioan. Andranque sententiam ipse inclinât. Tenet etiam Azor. tom. 1. l. 5. c. 23. §. animaduertendum. Exempla vero ponit in testamento vnus testis, vel in electione vnus electoribus deficiat. Quæ quidem indubitata sunt, vt per se constat, & tradunt Deci. in l. hæc non nullis inuas, c. qui testamenta facere possunt. n. 12. responderi tamè non immerito potest, illam non iudicari prudenter leuem solemnitate, sed valde grauem. Aliud exemplum est, quia inuertio ordinis prescripti ad procedendum, vt in petendo consilio ante, vel post actum; nam videtur leuis defectus, & nihilominus irritat actum; iuxta c. cum dilectis, de rescript. Sed hæc etiam non reputabitur leuis omisitio, quia propter consilium potuisset sententia mutari, vt notauit Felin. in c. ex parte, supra citato. Aliud exemplum potest sumi ex l. cum hi, §. si prætor, ff. de transactionib. vbi non solum dicitur esse transactio nulla, quando prætor eam permittit sine cause cognitione, sed etiam (inquit) *si non de omnibus inquisierit, quos oratio mandat, hoc est, de causis, de modis, de personis, quantum de quibusdam quæstierit.* Ergo quidquid prætermittatur de forma substantiali, vitiat actus. Et ad hoc facere potest, quod essentia rei consistit in in diuisibili, vt Philosophi dicunt: sic ergo forma consistit in integritate, & ideo paruis defectibus vitiat illam, vt significauit etiam Bald. in c. cum alio, de rescriptis, n. 4.

Hæc ergo sententia videtur practicè securior, maxime quia si hoc relinquatur arbitrio prudentis, multum enervantur leges formam substantialem instituentes: vix autem potest alia regula dari, si semel datur locus, seu licentia aliquid excipiendi. Non displicet autem distinctio, quam tradit Felin. ex Bart. & Imol. in cap. cum dilectis, de rescriptis n. 6. §. verum signum, scilicet, vbi constat, ordinem esse substantialem, omissionem eius indistincte vitare actum, siue leue, siue graue præiudicium parere videatur: si autem sumus in dubio, tunc posse distingui inter leticæ, & graue præiudicium. Idem enim merito dici potest in omnino dubio de forma substantiali. Applicari etiam in præsentem potest cum proportione doctrina, quæ de mutatione in forma sacramenti tradi solet: nam si sit formalis, vt sic dicam, semper vitiat actum, id est, si mutet, vel corrumpat sensum verborum, etiam si hoc contingat per vnus tantum literæ mutationem: si vero sit mere materialis, non vitiat, id est, si verba eandem significationem retinent. Tunc enim semper mutatio, vel omisitio grauis est, etiam si circa rem parum esse videatur: è contrario vero posterior mutatio dici potest leuis, etiam si in re sensibili maior appareat. Ita ergo in præsentem, si omisitio in re, quæ videtur parua, sit contra intentionem, & mentem legis, tunc semper vitiat, & non est censenda leuis, sed grauis, quia multum interesse potest: si autem non solum est materialiter leuis circumstantia, sed etiam parum videtur referre ad finem legis, tunc non videtur vitiare quia quàm nihil reputatur. Et ita possunt conciliari dicti auctores: nam si attente considerentur exempla quæ afferunt, seu occasiones in quibus loquuntur, videntur in prædicto sensu fuisse loquuti.

